

fecto. — Sic rursus, etsi liberum cuius sit, suum revocare testamentum per ea, quæ diximus, lib. III, tit. XXVI, *de Testament.* § 22, tamen inchoatio secundi testamenti, quo testator primum revocare intendit, huic non obest, si antequam secundum perficiat, morte præveniatur, § *Ex eo, 7, Inst. quibus modis testam. infirm.* ibi: « Ex eo autem solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere: usque adeo, ut, et si quis post factum prius testamentum, posterius facere cœperit, et aut mortalitate præventus, aut quia eum ejus rei pœnituit, id non perfecit, divi pertinacis oratione cautum sit, ne alias tabulæ priores jure factæ irritæ fiant; nisi sequentes jure ordinatæ et perfectæ fuerint. » Rationem ibidem hanc unicam subjungit: « Nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est: » consequenter de jure nullum sortitur effectum, sicque prius nullatenus infirmat. Sic insuper si legatarius ex duobus v. g. prædiis disjunctive sibi legatis unum eligit prout potest, l. 2, et 4, ff. *de Optione, vel electione legata*, et hæc electio ex certa causa de jure est nulla, potest aliam electionem facere, quia prior, utpote nulla, juris carens effectu, non præstat impedimentum.

7. *Depositiō testis coram incompetente iudice facta non impedit, quin alia ei contraria fieri queat coram iudice competente.* — Sic etiam in judiciis, si depositio coram iudice incompetente, consequenter de jure nulliter, et invalide fit, non impedit, quin alia, etiam priori contraria, coram iudice competente fieri queat; quia prior, utpote nulla nullum habere effectum, et considerari debet, ac si facta omnino non fuisset Gloss. in *Clement. 7. Rite, de test. et attest.*; Tacuin. *hic*, arg. c. *At si clerici, 4, de Judiciis*, ubi propterea clerici coram iudice sæculari etiam confessi, vel convicti de crimine, a pœna immunes declarantur ibi: « At si clerici coram sæculari iudice convicti fuerint, vel confessi, non sunt propter hoc a suo episcopo aliquatenus condemnandi. » Et ratio est, quia acta coram iudice incompetente sunt nulla, consequenter sine ullo juris effectu.

8. *Electio nulliter facta repeti potest.* — Sic in electione quoque, si electio post publicatum scrutinium de indigno, consequenter nulliter facta appareat, non impedit, quin eligentes novam electionem facere valeant: dummodo communis electio subsequuta non fuerit, et canonici ex alia ratione ea vice non

sint privati jure eligendi, c. *Perpetuo, 7, de Elect.* in 6, cum concord. Ratio est, quia prior, utpote nulla, nullum præstat impedimentum.

9. *Ponuntur fallentiæ regulæ. Matrimonium ratum nulliter initum præstat impedimentum: non item sponsalia nulliter contracta.* — Quæritur II. An, et quas fallentias patiatur regula 52? Resp. eam fallere primo, in matrimonio rato; hoc siquidem, etsi invalidum sit (dummodo tale non sit ex defectu consensus) parit impedimentum publicæ honestatis: prout idem jure antiquo etiam sponsalia de futuro præstabant: quod ultimum tamen jure novo concilii Tridentini correctum fuit, Trident. sess. 24, *de Reform. matrim.*, cap. III, ibi: « Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia (intellige de futuro) quacunque ratione valida non erunt, sancta synodus prorsus tollit: » impedimento ex sponsalibus de præsentibus, seu ex matrimonio rato, consurgente manente in salvo, uti de hac materia late dictum est, lib. IV, *de Sponsa duorum*, a num. 40.

10. *Fallit regula in procuratore.* — Fallit secundo in procuratore: quia constitutio hujus etiam legitime facta tacite revocata censetur per subsequentem constitutionem alterius, quamvis hæc effectum non fuerit sortita ut dum posterius constitutus munus recusavit. c. *Non injuste, 14, de Procurat* ibi: « Quoniam dato posteriori, prioris est procuratio revocata. »

11. *Item in legato.* — Fallit tertio in legato: hoc siquidem alicui rite factum, censetur tacite revocatum, si idem postea alii legatarius, etiam si posterior legatarius hujusmodi legati sit incapax, consequenter respectu illius legatum invalidum sit. l. *Plane, 34, pr. ff. de Legat. 1*, ibi: « Plane ubi transferre voluit legatum in novissimum, priori non debetur; tametsi novissimus talis sit, in cujus persona legatum non constitit. »

12. *Et iudice delegato, utpote qui sententia nulliter prolata aliam ferre nequit.* — Fallit quarto in iudice delegato: hic enim, si sententiam de jure nullam profert, non potest eam revocare, et aliam proferre, sed debet alius iudex deputari, l. *Si* (ut proponis), 4, c. *Quomodo et quando jud.* ibi: « Si (ut proponis) pars diversa die feriato, absente, vel ignorante te, a iudice dato ferri sententiam pro partibus suis, quasi contumaciter deesses, impetravit: non immerito præses de novo negotium alterius iudicis notioni termi-

nandum commisit. » Nisi forsant sententia fuisset nulla ob non servatam formam mandati, tali enim in casu adhuc judicare posset, uti observat Pirh. *de Officio delegati*, n. 156, arg. l. *Quid tamen, 21, ff. de Recept. qui arbitr.*

13. *Item in compromissario, nam hic indignum nulliter eligens, alium eligere nequit.* — Fallit quinto in compromissario scienter, vel ignoranter eligente indignum; hic siquidem, etsi nulliter elegerit, sicque electio illius de jure non sit sortita effectum, tamen alium eligere non amplius potest, sed eligendi potestas devolvitur ad eligentes. c. *Si compromissarius, 37, § Si vero de Elect.* in 6, ibi: « Si vero eligit indignum, tunc sive scienter id fecerit (cum dolus ipsius eis, qui non sunt in culpa, non debeat imputari) sive etiam ignoranter (cum suo sit functus officio) eligendi potestas (nisi et ipsi scienter electionem talem ratam habuerint) libere revertitur ad easdem. » Quæ ratio in textu expressa, videlicet cum suo sit functus officio, etiam de iudice delegatum nulliter sententiantem (de quo, n. præc.) procedit.

14. *Item in delictis. Delicta non debent manere impunita.* — Fallit sexto in delictis, quia quamvis hæc inique facta non præstant impedimentum, sed habeantur pro infectis, nullumque sortiantur effectum in ordine ad acquirendam utilitatem et commodum delinquentis, tamen id efficiunt, ut taxatis a jure pœnis puniri possint, et debeant, ne delicta impunita liberius, et frequentius perpetrentur, can. 1, dist. 50, ibi: « Si lapsus ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ; dum pro reversionis spe pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat; » et can. 2, ibid.: « Qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum sacerdoti poterit adipisci. » Imo licet alias in delictis quoad pœnam attendatur effectus, cum voluntatis pœnam nemo sentire debeat, at solus conatus sine effectu non puniatur, prout dictum et probatum supra ad reg. 49, n. fin. tamen juxta pariter ibidem dicta, in delictis atrocibus etiam delinquendi voluntas, et conatus nullo secuto effectu punitur. Quibus concordat l. *Divus Hadrianus, 14, ff. ad leg. Cornel., de Sicariis*, ibi: « Divus Hadrianus in hæc verba rescripsit, in maleficiis voluntas spectatur, non exitus. »

CUI LICET, QUOD EST PLUS, LICET UTIQUE QUOD EST MINUS.

1. *Regula, unde?* — Desumitur hæc regula ex l. *Non debet, 21, ff. de Reg. jur.* ibi: « Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere. »

2. *Procedit tam in negativo, quam affirmativo.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regula tam affirmative, quam negative intelligi posse, ac debere, ita, ut, sicut in sensu affirmativo verum est: « Cum licet, quod est plus, licet utique, quod est minus. » Sic e contra in sensu negativo verum quoque sit: « Cui non licet, quod est minus, utique non licet, quod est majus. » Et quamvis hæc regula lumine naturæ videatur nota, famoso argumento « a majori ad minus, et a minori ad majus » desumpto: tamen non adeo universalis est, quin patiatur moderationem, et explicationem; cum non in omnibus, sed illis duntaxat procedat, quando utrumque tam majus videlicet, quam minus ejusdem ordinis est, et in utroque eadem reperitur ratio, ac præcipue si minus in majori continetur tanquam pars in toto, vel species in genere, uti bene observat Vivianus *hic*, Barbosa, *hic*, n. 1, plures citans alios. Hinc

3. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est: « Cui licet, quod est plus, seu majus, licet etiam, quod est minus, si minus in majori, tanquam pars in toto, vel species in genere continetur: aut quando utrumque tam majus, quam minus ejusdem ordinis est, et eadem in utroque reperitur ratio. » Regulam hanc suadet naturalis ratio; ubi enim minus continetur in majori tanquam pars in toto, vel species in genere, naturaliter necessario sequitur, quod, si alicui ratione testamenti, legati, donationis, contractus, vel alterius dispositionis licet accipere, retinere, distrahere totum, ei licere etiam debeat accipere, retinere, etc., partem illius: v. g. si licet alicui accipere, vel retinere totam summam centum florenorum, tanquam majus quid, licebit eidem etiam minus v. g. quinquaginta tanquam partem in illa summa contentam accipere, retinere, etc. *Item*, si licet alicui totam fundum occupare, licebit eidem et partem illius, tanquam quid minus occupare: *Item*, si licet alicui omnia pecora in stabulo exis-

tentia accipere, naturaliter sequitur, ei licere etiam hoc vel illud pecus in specie ibidem. Eadem naturalis sequela est, quando majus, et minus sunt ejusdem ordinis, et eadem in utroque reperitur ratio, uti patebit ab exemplis juris statim adducendis. Nam

4. *Declaratur exemplis.* — Declaratur, et firmatur regula exemplis ex jure desumptis, quorum plura reperire est apud Glossam hic; Strein. Taccin. et alios; et quidem imprimis in sensu affirmativo. Quando licet patri filiam in adulterio deprehensam occidere, licebit ei illam etiam fustigare, verbis objurgare; quia hoc minus est, quam occidere. l. *Nec in eo.* 22, § 3, ff. ad leg. Jul. *De adult.* ibi: « Sed qui occidere potest adulterum, multo magis contumelia poterit jure adjicere. »

5. *Ubi ratione incorporatae parochiae monasterio competunt decimae, etiam de novalibus competunt.* — Secundo, si alicui monasterio ratione parochiae incorporatae indistinctim decimas accipere licet, licebit eidem eas etiam de novalibus capere, cum hæc respectu illarum quid minus sint. c. *Ex parte.* 27, de *Decimis.* ibi: « Cum igitur tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terræ parochiarum tuarum cum integritate percipias, de novalibus eas recipere satis potes; quia ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur. » Dicitur autem notanter: « Ratione parochiae, » etc., ob doctrinam, lib. III, tit. XXX, de *Decimis*, n. 152 et 153, de novalibus optime traditam.

6. *Qui potest testamentum facere, etiam mortis causa donare potest.* — Tertio, si alicui licet testamentum facere, etiam mortis causa donare licet; quia hoc minus est, arg. l. *Tam iis.* 25, ff. de *Mortis caus. donat.* Quarto, quia judici licet juramentum in litem deferre, licebit eidem etiam, quod minus est, videlicet taxationem juramento addere, arg. l. *Videamus.* 4, § penult. ff. de *In litem jurand.*

7. *Cui non licet minores honores accipere, nec majores acceptare valet.* — Sequuntur exempla etiam in sensu negativo: et quidem primo si alicui ex prohibitione non licet minores accipere honores, eidem etiam non licebit majores acceptare. l. *Relegatorum.* 7, § 22, ff. de *Interdictis et relegatis.* ibi: « Potest alicui unus hono. interdicti. sic tamen, ut si cui honore uno interdictum sit, non tantum eum honorem petere non possit, verum nec eos quoque, qui eo honore majores sunt. Est enim per quam ridiculum, eum,

qui minoribus pœna causa prohibitus sit, ad majores adspirare. Majoribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur. »

8. *Qui diffamare non potest, minus occidere valet.* — Secundo, quia liberto non licet lacessere famam patroni sui, ei quoque non licebit illum occidere etiam deprehensum in adulterio cum uxore sua, textu claro l. *Si adulterium cum incestu.* 38, § 9, ff. ad leg. Jul. *de Adult.* addita ratione: « Nam cujus famæ, multo magis vitæ parcendum est. »

9. *Qui non potest absolvere ab excommunicatione, multo minus dispensare potest ad ordinum usum.* — Tertio, qui non potest absolvere clerici percussorem ab excommunicatione, nec ad ordinum usum cum eo dispensare valet; quia istud est majus illo c. *Cum illorum.* 32, de *Sentent. excomm.* ubi etiam ratio additur illis verbis: « Cum majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora. » Sic quarto, si alicui non licet verberare, multo minus licebit occidere. Strein, hic n. 4.

10. *Regula non procedit, si majus et minus sunt diversi ordinis.* — Notanter tamen in sensu regulæ n. 3, additum est: « Si utrumque, tam majus, quam minus videlicet ejusdem ordinis est; » quia ubi hæc diversi sunt ordinis, regula non procedit. Sic enim etsi latrunculatori latrones conquirere, eos supplicio afficere licitum fuerit, tamen de re pecuniaria cognoscendi nulla ei competit potestas l. *Solemus.* 61, ff. de *Judiciis.* ibi: « Latrunculator de re pecuniaria judicari non potest. » Quamvis enim criminaliter judicare majus sit, quam civiliter; tamen, quia diversi ordinis sunt, a majori ad minus argumentari non licet.

11. *Vel in diversa in utroque reperitur ratio.* — Pariter notanter additum est: « Et si eadem in utroque reperitur ratio; » hæc enim ubi deficit, regula non procedit. Hinc licet impertiri absolutionem sacramentalem majus sit, quam concedere sepulturam ecclesiasticam: tamen, quia in utroque eadem non habetur ratio, licitum quidem est, ei, qui in torneamento moritur, et prius pœnitet, dare absolutionem sacramentalem, non tamen impertiri sepulturam. c. 1, de *Torneamentis.* ibi: « Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, ecclesiastica tamen caret sepultura. »

12. *Qui potest occidere in adulterio deprehensam, non potest eam adigere ad adulteran-*

dum cum eo. — Similiter licet homicidium majus sit, quam adulterium, vel fornicatio arg. can. *Si quod.* 9, cau. 33, q. 2, tamen casu, quo in flagranti deprehensam juxta leges licitum est occidere, non licet eandem propterea ad fornicationem adigere; quia diversa in utroque ratio reperitur, et auctoritate legis homicidium subiunde, fornicatio autem, vel adulterium nunquam licite fieri potest, uti cum aliis bene advertit Baldus, in l. fin. c. « quæ contra jus, et utilitat. publicæ. »

13. *Fallit regula primo, quando forma mandati aliud exigit.* — Quæritur II. An? et quas fallentias patiatur regula 53? Resp. eam præter alias, præsertim ad regulam 35, positas fallentias, etiam sequentibus subjacere: et quidem universaliter primo, quando forma mandati aliud requirit; hæc enim semper exacte est observanda. Hinc, si alicui Papa jubet provideri de integra præbenda, non potest eidem etiam volenti dimidia præbenda conferri. c. *Cui de non.* 27, de *Præbend.* in 6, ibi: « Si in Ecclesia, in qua integræ, et dimidiæ præbendæ habentur, mandatur integra præbenda conferri, quamquam ille, pro quo scriptum extitit, dimidia velit esse contentus, ei de ipsa non poterit provideri. Idem, cum injungitur provisio alicui de præbenda certi valoris, ut in præbenda minoris valoris, etiam illo volente, mandatum non possit adimpleri. Non enim hujusmodi mandata (quorum fines diligenter servari oportet) debent ad casus alios, quam expressos extendi. »

14. *Fallit secundo quando quis a minore, et non majore expresso prohibetur.* — Fallit secundo, quando quis expresse prohibetur a minori ex causa: sic v. g. si quis ex eo, quia ordinem minorem injuste contulit, in pœnam privatur potestate conferendi talem ordinem, quamvis adhuc conferre valeat majorem, vel alium minorem, arg. can. *Si qui episcopi.* 43, cau. 1, q. 1, juncta Glossa, ibidem §. *Illi.* Idem dic, si quis privatur minori ob utilitatem aliorum, vel aliam ob causam.

15. *Fallit tertio in sacerdote, qui potest sub duplici, sed non sub una specie celebrare.* — Fallit tertio in sacerdote celebrante Missam, utpote cui licet, quod plus est, sumptio videlicet Eucharistiæ sub utraque specie, et tamen eidem non licet, quod minus est, eam nempe sub una specie sumere can. *Comperimus.* 12, dist. 2, de *Consecrat.* ibi: « Com-

perimus autem, quod quidem sumpta tantummodo corporis sacri portione calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. »

16. *Fallit quarto in tutore, utpote qui, si concedente præfecto potest vendere, tamen oppignorare rem pupillarem non potest.* — Fallit quarto in tutore; hic enim quamvis ei a prætore concessum sit, quod majus est, videlicet vendere rem pupillarem, non tamen licet eidem, quod minus est, rem talem oppignorare. l. *Si pupillorum.* 7, § 3, ff. de *Rebus eorum, qui sub tutela.* etc., ibi: « Si prætor tutoribus permiserit vendere, illi obligaverint; vel contra: an valeat, quod actum est? Et mea fert opinio, eum, qui aliud fecit, quam quod a prætore decretum est, nihil egisse. »

17. *Fallit quinto in præside provinciarum: et quomodo?* — Fallit quinto in præside universas provincias regente; huic enim quamvis concessum sit, quod plus est, videlicet jus gladii l. *Illicitas.* 6, § 8, ff. de *Officio præsidis.* ibi: « Qui universas provincias regunt, jus gladii habent: » et tamen deportare, quod minus habetur, ei non est concessum, l. *Rei.* 2, § 1, ff. de *Pœnis.* et l. *Inter.* 6, § 1, ff. de *Interdict. et relegat.* ibi: « Deportandi autem in insulam jus præsidibus provinciæ non est datum. »

REGULA LIV.

QUI PRIOR EST TEMPORE POTIOR EST JURE.

1. *Regula, unde?* — Desumitur hæc regula ex l. *Qui balneum.* 9, prin. et l. *Potior.* 11, ff. *Qui potiores in pignore.* juncta l. *Si fundum.* 3, c. eod. ibi: « Sicut prior es tempore, ita potior es jure. » Concordat reg. 98, ff. de *Reg. jur.* ibi: « Quotiens utriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est, cujus in lucrum causa tempore præcedit. »

2. *Procedit tantum, ubi cæteris paribus par causa habetur.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I, eam intelligendam esse « cæteris paribus, » indeque locum habere in iis duntaxat, in quibus utriusque per omnia, solo excepto tempore, « par causa est, uti bene ex advertit Glossa communiter re-

cepta. Hinc ex duobus emptoribus vel donatariis præfertur ille, cui prius res vendita vel donata est, si nulli adhuc est tradita : si vero alicui tradita jam existit, is ipse præfertur, cui res prius tradita fuit, etiamsi alteri prius fuerit vendita vel donata l. *Quotiens*, 15, c. *de Rei vindicat.* ibi : « Quotiens duobus in solidum prædium jure distrahitur, manifesti juris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorum. » quia in utroque par causa non est ; cum posterior non solum jus ex contractu, sed etiam ex traditione possessionem et dominium habeat : quamvis priori emptori contra venditorem remaneat actio ex empto cit. l. *Quotiens*.

3. *Ac in iis, quæ a voluntate duorum dependent.* — Porro intelligenda est regula, quod locum habeat in iis tantum, quæ pendent a voluntate duorum, uti fit in contractibus. In legibus siquidem, et constitutionibus : item in testamentis, et ultimis voluntatibus, quæ ex voluntate unius, legislatoris videlicet, vel testatoris dependent, semper dispositio posterior attendenda venit, cum per hanc censeatur revocari prior arg. c. 1, *de Constit.* in 6, ibi : « Licet Romanus pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censeatur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciant, revocare noscatur. » Et loquendo de ultimis voluntatibus l. *Si mihi et tibi*, 12, § 3, ff. *de Legat. I.* ibi : « In legatis novissimæ scripturæ valent : quia maturi causa præcedentis legati vel die, vel conditione, vel in totum ademptione, potest : » ut proin non ex priori, sed ex posteriori legatum habens potior sit jure. Hinc

4. *Ponitur verus sensus regulæ. Principium cujuslibet rei potissima pars est.* — Resp. II. Verus regulæ sensus sequens est : « Ubi par causa est, a voluntate duorum dependens, inter certantes de juris prælatione, cæteris paribus ille præfertur, qui antè, seu antiquius jus habet. » Ratio est ; tum quia, ut bene argumentatur Vivian. hic : « Cujusque, rei potissima pars principium est, » l. 1, ff. *de Origine juris.* Tum et præcipue, quia nemo sine culpa privari potest jure suo, arg. *can. Satis perversum*, 7, dist. 56, et l. *Id, quod nostrum est*, 11, ff. *de Reg. jur.*, ibi : « Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. » Hoc autem fieret, si quis, postquam per contractum, emptionis v. g. jus ad rem emptam jam acquisivit, illo

sine culpa privaretur, et ipsum alteri eandem rem postea ementi, cæteris existentibus paribus, cedere deberet.

5. *In pignore et hypotheca ordinarie qui prior tempore, potior est jure.* — Declaratur regula exemplis juris ; et quidem primo circa pignora, vel hypothecas : nam in his ordinarie præferendus est, cui res prius sive generaliter, sive specialiter, sive tacite, sive expresse oppignorata existit, l. *Potior*, 11, pr. ff. *qui potiores in pignor.*, ibi : « Potior est in pignore, qui prius credidit pecuniam, » juncta l. *Licet*, 7, C. eod. ibi : « Licet iisdem pignoribus multis creditoribus diversis temporibus datis priores habeantur potiores, » et l. : *Diversis*, 8, C. eod. ibi : « Diversis temporibus eadem re duobus jure pignoris obligata, eum, qui prior data mutua pecunia pignus accepit, potiorum haberi, certi, ac manifesti juris est. »

6. *Etiam si prior generalem duntaxat, et posterior speciem hypothecam habeat, et huic pignus actu traditum sit.* — Nec refert, quod posteriori res specialiter sit oppignorata, et priori generaliter duntaxat l. *Si generaliter*, 6, C. eod. ibi : « Si generaliter bona sint obligata, et postea res alii specialiter pignori duntaxat : quoniam ex generali obligatione potior habetur creditor, qui antea contraxit. » Pariter non refert, quod res posteriori non tantum oppignorata, sed etiam in pignus actu tradita sit, l. 2, pr. ff. eod. ibi : « Qui generaliter bona debitoris pignori accepit, eo potior est, cui postea prædium ex his bonis datur. » Ratio est, quia res transit cum onere suo etiam in casu, quo tacite tantum oppignorata existit c. *Ex litteris*, 5, in fin. *de Pignoribus*, ibi : « Cum etiam bona viri mulieri sint pro dote tacite obligata, et cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem, »

7. *Limitatur tamen hæc doctrina de hypotheca in aliquibus.* — Dicitur tamen notanter ordinarie ; quia doctrina præcedentis non limitatur in nonnullis casibus, ita ut posterior hypothecarius præferatur priori, veluti primo, si posterior ad conservandam, vel reficiendam rem hypothecariam mutuo dedit l. *Interdum*, 5, ff. eod. ; secundo, quando posterior ad emendam aliquam rem hac conditione mutuum pecuniam dedit, ut eidem specialiter maneat obligata, l. *licet*, 7, C. eod. ; tertio, si habeat hypothecam publico instrumento erectam, nisi prioris instrumentum esset tribus testibus subscriptum, l.

QUI SENTIT ONUS, SENTIRE DEBET COMMODUM, ET E CONTRA.

Scripturas, 11, C. eod. ; quarto, si posterior esset causa specialiter privilegiata. Plura de jure prælationis vid. lib. III, tit. XXIII, § 3, *de Solution.*

8. *Qui prius beneficium obtinet, præfertur postea obtinenti.* — Cæterum declaratur regula ulterius etiam aliis exemplis juris : uti in beneficiis ; qui enim prius impetravit beneficium, præfertur posteriori idem impetranti, nisi prior dolo, vel negligentia illud possidere omiserit, textu expresso c. *Si autem aliquis*, 9, *de Rescript.* Nec refert, si posterior obtentor suum rescriptum prius præstaverit, c. *Tibi, qui gratiam*, 12, eod. in 6. Verum, quia materia hæc de prælatione rescriptorum suas patitur instantias ac limitationes, vide de ea lib. I, tit. III, *de Rescript.*, § 4, ubi late et exacte de eadem tractavimus.

9. *Ponuntur varia exempla regulæ.* — Ulterius exemplificat regulam Strein hic in variis : veluti in ecclesiis, monasteriis, collegiis, congregationibus, communitatibus, etc. In his enim, qui tempore præcedit quoad institutionem, receptionem, professionem, cæteris paribus, præcedit posteriores in considendo, incedendo, consulendo, suffragando, participando, ac similibus : quod etiam in infima plebe, et apud mechanicos artifices observatur. Cujus ulterior ratio est, quia jus, quod ab aliquo acquiritur, illi prodesse debet, qui prior est, nec præpostero ordine decet ultimos in fronte collocare, arg. c. 1, *de Majorit. et obedient.* ; ibi : « Sit honoris ista distinctio, ut ipse prior et major habeatur, qui prius communitatis consilio, et concordia fuerit actione ordinatus, » ac ibidem Barbos.

10. *Fallit regula in privilegiis.* — Quæritur II. An et quas fallentias patiat hæc regula ? Resp. Præter fallentias, quas n. 5, de pignore et hypotheca jam posuimus, et quæ n. 8, remissive allegantur, specialiter fallit regula in privilegiis. arg. l. *Privilegia*, 32, ff. *de Rebus auctorit. jud. possid.* ubi in ipso textu ratio continentur, quia videlicet : « Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa. » Hinc, ut notat Glossa ibid., privilegiatus præfertur non privilegiato in solvendo ac repetendo : et inter duos privilegiatos ille, qui magis est privilegiatus. Quod si vero æqualiter sint privilegiati, id est, « si ejusdem tituli fuerint, concurrunt, licet diversitates temporis in his fuerint, » uti expresse habetur cit. l. *Privilegia*.

1. *Regula unde?* — Desumitur hæc regula ex l. *Secundum naturam*, 10, ff. *de Reg. jur.*, ibi : « Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequentur incommoda, » et l. un. § 5, ad fin. C. *de Caducis tollend.*, ibi : « Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. »

2. *Juxta communem hæc regula duo habet membra : juxta Strein quatuor : et qualia?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit ? Ante responsionem notandum certum quidem esse hanc regulam principaliter bimembrem existere, uti patet ex verbis : « Et e contra. » Doctores tamen, etsi in re omnes conveniant, non plene convenire in designandis his membris ; Glossa siquidem hic §. « Et e contra » putat, alterum membrum verbis regulæ oppositum esse : « qui non sentit onus, nec commodum sentire debet. » Alii e contra dicunt, alterum regulæ membrum per *ly et e contra* insinuatam esse sequens : « Qui sentit commodum, et onus sentire debet. » Strein pro majori intelligentia regulæ eam in quatuor non incongrue dividit membra, duo scilicet affirmativa, et duo negativa, ita, ut horum quodvis affirmativum habeat suum e contra negativum ; ut proin juxta ipsum regulæ primum membrum affirmativum sit : « Qui sentit onus, sentire debet commodum : » secundum membrum vere negativum e contra sit : « Qui non sentit onus, non debet sentire commodum. » Tertium membrum rursus affirmativum : « Qui sentit commodum, sentire debet onus. » Ac e contra quartum denuo negativum membrum : « Qui non sentit commodum, sentire non debet onus. » Verum, juxta communem doctorum sensum, et praxin applicandi, regula principaliter duo affirmativa jam recensita censetur habere membra, ita tamen, ut in quovis includatur, et ex eo e contra sequatur negativum, indeque in re omnes conveniunt. H. N.

3. *Per onus et commodum intelliguntur illa, quæ ex rei natura, vel dispositione juris sunt annexa.* — Resp. I, per onus et commodum intelligit regula non quævis, sed præcipue illa onera et commoda, quæ vel ex natura rei et actus, vel ex dispositione legis prove-